

Feria III post Dominicam Quinquagesimæ

Sacri Vultus

Dómini Nostri Jesu Christi

Color Rubeus

Introitus.

Philipp. 2, 8-9.

Humiliávit semetípsum
Dóminus Jesus Christus usque
ad mortem, mortem autem
crucis: propter quod et Deus
exaltávit illum, et donávit illi
nomen, quod est super omne
nomen. (T. P. Allelúja, allelúja.)
Ps. 88, 2. Misericórdias Dómini
in ætérnum cantábo: in
generatióem et generatióem.
℣. Glória Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, cujus
sacratíssimus Vultus in Passióne
abscónditus sicut sol in sua
virtúte relúcet; concéde
propítius; ut tuis passióibus
communicántes in terris, in
revelatióne glóriæ tuæ gaudére
valeámus in cœlis. Qui vivis.

Léctio Zachariæ Prophétæ.

Zach. 12, 10-11; 13, 6-7.

Hæc dicit Dóminus: Effúndam
super domum David et super
habitatóres Jerúsalem spíritum
grátiae et precum: et aspicient ad
me, quem confixerunt: et
plangent eum planctu quasi
super unigénitum, et dolébunt
super eum, ut doléri solet in

morte primogéniti. In die illa
magnus erit planctus in
Jerúsalem, et dicétur: Quid sunt
plagæ istæ in médio mánuum
tuárum? Et dicet: His plagátus
sum in domo eórum, qui
diligébant me. Frámea, suscitáre
super pastórem meum, et super
virum cohæréntem mihi, dicit
Dóminus exercítuum: pércute
pastórem, et dispergéntur oves:
ait Dóminus omnípotens.

Graduale.

Ps.

68, 21-22.

Impropérium expectávi cor
meum et misériam: et sustínui,
qui simul mecum contristarétur,
et non fuit: consolántem me
quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel,
et in siti mea potavérunt me
acéto.

Tractus.

Is. 53, 4-

5.

Vere languóres nostros ipse tulit
et dolóres nostros ipse portávit.

℣. Et nos putávimus eum quasi
leprósum et percússum a Deo et
humiliátum.

℣. Ipse autem vulnerátus est
propter iníquitates nostras,

attritus est propter scélera nostra.

℣ . Disciplína pacis nostræ super eum: et livóre ejus sanáti sumus.

In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecostes, Graduale ut supra et, omisso Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obœdiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansúetus ad occisiónem. Allelúja.

Tempore autem Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obœdiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansúetus ad occisiónem. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

✠ **Sequéntia sancti
Evangélii secúndum
Joánnem.**

Joann. 19, 28-35.

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit:

Sítio. Vas ergo erat pósito acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto capite trádidit spíritum. Judæi ergo (quóniam Parascéve erat), ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura et alteríus, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus aperuit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Antiphona ad Offertorium

Insurrexérunt in me viri iníqui: absque misericórdia quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea. (T. P. Allelúja.)

Secreta

Protéctor noster, áspice, Deus, et respice in Fáciem Christi tui; qui tibi semetípsum pro nobis hóstiam óbtulit, et præsta: ut eámdem immaculátam hóstiam offeréntes, ipsi quóque in holocáustum tibi accéptum

transeámus. Per eundem
Dóminum.

***Antiphona ad
Communionem***

Ps. 21, 17-18.

Foderunt manus meas et pedes
meos: dinumeraverunt ómnia
ossa mea. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio

Fáciem tuam, quæsumus,
Dómine, super nos benígnus
illúmina, ut tuas justificatiónes
edócti, per hæc sacrosancta
mystéria blandiéntem mundum
eludére et persequéntem
superáre póssimus. Qui vivis.